



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Pancharivs M. 19. Mart.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

oculis dimittere? quid dulcius, quam  
ab his oculos claudi? *Ex lib. 3. Carthag.*

S. PANCHARIUS M. 19. Mart.

**N**emo, o juvenus! nemo rectè duo-  
bus Dominis unus servit. Nempe  
duos nec amabis, nec amaberis à duo-  
bus. Si fidem Christo non habes, ah sal-  
tem tibi habe, juventutis habe Principi  
PANCHARIO. Quid non huic nomen  
suum promisit? unus Diocletiani furor,  
qui patriam infestabat, terrebat. Ergo  
Romam itur. Ah PANCHARI seque-  
ris, non fugis hostem! Aula tamen acci-  
pit, opes stipant, honores aulae Præfe-  
ctum salutant, ipse Diocletianus amat.  
Fidem juro PANCHARI, odit tyran-  
nus qui amat. Eheu! vates fui, blandi-  
tiis expugnatur cereus animus, & dum  
fidus regi laborat esse, celo fit perfidus,  
Christum, prò! cum Iove mutat. Itē  
nunc aulae mancipia, ite Principes, fidē  
aulae habete utrique, quæ fidem frangit  
DEO. Nunquid rectè iterum illud cla-  
mabo: *Exeat aula, qui pius esse cupit?*  
Exit ecce PANCHARIUS aula, à ma-  
tre & sorore Christianis castigatus, &  
pius est iterum, iterum Christum am-  
plectitur, Iovemq; damnat, spectante &  
audiente Diocletiano. Furit hic & ver-  
beribus sævit. Hac tu PANCHARI,  
amoris divini in te principia crede. In  
theatrum abriperis: Spectatores Superos  
ha-

habebis. Exul Nicomediam abduceris. Gaude vel sic aulâ exiisse. Securi feriunt; sanguini innatas. O factum bene! hanc demum purpuram altera, ad quam tendis, Aula probat. *Ex Menais.*

S. SIBYLLINA V. 19. *Martii.*

**N**ATA SIBYLLINA Papiæ in Biscofsâ nobili familiâ D. Dominici tertium Ordinem nobilitavit. A teneris scelus ingens credidit esse, quem sibi horarû Canonicarum vicem numerû precum præfixerat, vel semel omittere. Loco solo cum se inclusisset, non nisi semel ad Virginem velatam, semel epulo Eucharistico reficienda sponso obviam processit. Gaudiis tunc inundabat, cum sanguini, quem ipsa flagris septē annis quotidie fundebat. Pudorem unicâ veste & contra æstum, & frigora tegebat. Nudo indormiebat ligno, suavissimo castitati thalamo. Annum XII. egressa, cum oculos corporis amisisset, animi invenit, & D. Dominicum manifestâ in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis delibuta, ut jam nollet non fuisse cæca. Et verò quis unquam plura vel Argus vidit, quando longè post futura vidit, prædixit; conscios lethalis noxæ animos inspexit; è ligno, quo Christus pependit, reliquias, cordis tactu veras esse pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut quo Christus sub panis orbe, quo